

IOANNES OECOLAMPADIUS LECTORI SALVTEM.

THEOPHYLACTVS ille, amice lector, tametsi inter Græcos theologos recentior, & succinctæ dictionis filo familiarior, neutiquam mea sententia studiosis aspernandus fuerit: & non solum non aspernandus, sed & multis nominibus cōmendatus. In arctum enim cogit, quæ multi fusim non sine legentium fastidio tradiderunt: & brevis quidem est, in plerisque tamen abunde satis Euangelistarum mentem explicat, quo manifeste uideas ad hoc unum spectasse eum, ut quammaxime prodesset. Ita familiaris est, ne sit fastidio: ita autem brevis, ne conqueri possis obscurum esse, id quod paucis datur. Ex multis authoribus apparet instar apiculæ in mellificinam sui aluearii probatiores sententias conuexisse, in primis autem ex Chrysostomo tanquam ex aureo suo fonte, maxime aureas interpretationes hausisse: ita ut in huius compendio parum desyderes ad explananda Euangelia eorum, quæ ille sinuosis uoluminibus protulerat. Quem & sequitur de libero arbitrio ac fide, & quibusdam aliis, & prōinde in quibusdam interpretandis uiolētor: quod dixerim, ut in hoc tuum adhibeas iudiciū, qui te solis canonicis scripturis additum nosti: non ut totum à lectione auocem, quorundam more, qui mox quum unum & alterum displicuerit dictum, toto libro abrenunciant. Quin potius utilia propter nēuos paruos, ne reiiciamus. Sunt & in humilibus casis penates. Audimus & balbos nonnunquam prudenter de quibusdam differentes. Ecce hic crebras paraphrases multum lucis afferentes, adiicit: pulchre cōnectit, quæ *ἡς δὲ πρὸς τὸν* diffidere uidentur. In allegoriis, etsi nō ubiq; solidus, iucundus tamen est. Me sanē non admodum laboris pœnitet, quem in hunc librum paucis mēsis insumpsi, ita uolentibus amicis. Et quamuis eum rhetorico mūdo non ornauerim, neq; hoc si uel maxime uoluissē, permisissent quotidianæ lectiones, cōciones, urgēs typographus, & periculosi nostri dies: Operam tamen dedi, ut fideliter redderem quod communicandum suscepēram, nihil minus agens quā ut uel alienum, uel meum quippiam admiscerem. Vnde si bene dicit, illius laus est: sin alicubi non satisfacit expectationi tuæ, uituperandus ego non sum: interpretem egi, non dogmatistē. Meæ insipientiæ nugas potero ipse propriis libris euulgare, si in rem studiosorum facere mihi uidebūtur. Horui semper inepta mea dicta alieno & uenerabili quopiam uenditari nomine. Adegit tamē exemplar mutilum, ut uno in loco quædam infarcirem: deerat enim charta. De quo tamen (ut uidebis) monui, ne quis uel in hoc fidem meam accuset: & non accusabis, opinor, ut ut sermo durus sit & inconcinnus, qui nolui ut moraretur, quo minus prodiret THEOPHYLACTVS Euangeliorum enarrator, antea ferme à nostris ignoratus. Consultius enim uisum illa, quā nulla dare: si forte uel sicte huiusmodi beneficiis demerear. Vale

Menſe Martio, Anno uirginei partus,

M. D. XXIII.

*Hic Oecolampadius
suspexit cū Luthero
de libero arbitrio.*